

III.

NEOVIDENSIS

Nro 88. (*Neovidensis* 1805. Nro 86.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos inter,  
ac mortuos.*

Epistola data ab Officiali Austriaco ad suum  
commilitonem ad campos Elysios

Ex Neobocomio:

---

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 15. Nov. 1805. (Neov. 25. Oct.)

---

Requiesce exanguis umbra! requiesce in his  
beatorum sedibus, hic alioquin nulla fuisses  
pace fruita. Felices, qui mortem gloriæ  
oppetierunt; Hostis potest mea sensa legere,  
potest ea vindicare, sunt sanguine scripta.  
O Amice! sanguinem fudi pro patria; Vix  
tantum mihi reliquum est, ut sentire possim,  
& ultima gutta, quæ permeat cor, tua est,  
mi amice! totum pro patria effluxit.

Duo accepi vulnera, quibus me stre-  
nuus hostis affecit; Magnifacio fortitudinem  
etiam in hoste. Sed heu! vidi te ruentem  
in hostile agmen; studium victoriæ promica-  
bat ex tuis oculis, cecidisti plumbea glande

trajectus, pertransiit illa cor tuum, in quo invicti animi magnitudo æstuabat, & nostra conqueverat amicitia.

Meum quoque brachium glans plumbea feriit, altera vero comminuit cranium superius, concidi attonitus, & quamprimum me collegi, quærebam te, — te amicum meum. — Nullibi te observavi, indagavi in locum, in quo esses; serpsi illuc, reperi te mortuum. Bone Deus! quam terribilis positio! Rui in tuos amplexus, altiore voce te sum affatus, inclamavi tuam animam, animam, quæ fuit deliciæ meæ amicitiae; sanguis obruit meos oculos, volebam videre, quomodo ascendat ad Deum, ducem exercituum; & reipsa videbar mihi illam vidisse — O amice! illam ibi superius conspexi, cœli mihi aperti visi sunt, illa ornata suis virtutibus, & nostra familiaritate evolavit ad superos.

Prostratus jacui in loco pugnae in medio occisorum, & vulneratorum; strepitus armorum, clamor certantium, ejulatus sauciorum, dolores meorum vulnerum, atque sanguis, qui ori illapsus me reficiebat, mihi aliquantum vires restituit; Sed heu! more suo clamabat hostis: Victoriâ reportavimus! Iterum, iterumque corruï; caput meum applicui tuo vulnere, tuo cordi, in quo olim nostra amicitia residebat, & sanguis inde fluens vulnere mei capitis calorem concilia-

vit.  
lapsu

dam  
diem  
gaud  
turun  
tere  
meur  
omni  
habe

repe  
turun  
nus  
stine  
rum

stis  
leva  
que  
eras  
lien

simu  
O a  
bus  
tum

vit, volui assurgere, te levaturus, sed relapsus sum.

In hoc situ positus sensi speciem quamdam tranquillitatis, judicavi enim me ultra diem hunc infelicem amplius non victurum, gaudebam me paulo post tua vestigia secuturum, ubi tibi omnia narraturus, & in veterere amicitia perseveraturus sum. Hoc erat meum solatium, quod me religio docuit; Hoc omnino unicum est, quod in adversis locum habet.

Jam mente concipiebam, quomodo te repentino meo adventu attonitum amplexaturus sim, & quomodo tu admiratione plenus amplexus redditurus; Hac voluptate distinebar, hæc erat lepimen meorum dolorum,

Redii tandem ad me; magnanimus hostis manibus tentabat, an adhuc viverem; levatus sum, ego vero te indigitavi, te quoque sustulerunt, ast, quia exanime cadaver eras, projectus es cum reliquis — ad sepeliendum.

Hoc momentum erat mihi longe tristissimum; a te divelli, & quidem in æternum: O amice! quantus dolor! Ex meis vulneribus nullam sensi dolorem, tui jactura tantum, & tua mors me excruciebat; Nostri

circumcirca jacentes vulnerati milites flebant, & clamabant: Noster Centurio, noster amicus periit! Ego gelidam tuam manum apprehendi, compressique, ut tibi ultimum vale dicerem — Deportatus dein fui ex loco pugnae, & curru impositus, in quo quatuor nostri commilitones jacebant; Illati fuimus in templum, ubi multi tam nostrorum, quam hostilium militum mixti in stramine recumbebant. Advenere sensim medici, examinantes nostra vulnera; mea pronunciarunt esse sanabilia. Post primam vulnerum vindicturam svasum nobis est, ut quieti indulgeremus.

Hic, dilectissime amicorum! artus meos sacer horror occupavit; Recordatio praeteritorum temporum me induxit ad suavissimam meditationem. Ecclesia, in qua jacebamus, pertinebat olim ad certum coenobium, in quo ego bello superiore hospitio exceptus sum; *Sacralicatio* illud profanavit. Sanctum templum! ita animo volvebam, tu multa millia hominum ad sacra Christianorum perduxisti, confluebant ad te, tanquam orphani, querentes suum patrem; tu spectasti politicas dissensiones Imperantium, & populorum; fuisti testis turbarum, quas animi motus hominum produxerunt. Omni tamen tempore colebaris, eras solatium infelicibus, & minabaris superbis. Tam victor, quam victus tibi offerebant suos triumphos & gemitus in

holocaustum. (*Hic lachrymæ fluebant ex oculis meis.*) Sanctum templum! ubi est tua Arca, ubi Levitæ, ubi pompa sacrificii? ubi incensum thus, quod sub tuo fornice in altum ferebatur? ubi modulatio precantis plebis, quæ a summo mane usque ad seram noctem Deo Omnipotenti hymnos concinebat?

Converti oculos in altare; lacerram velum, ultimum pietatis donum, pendeat intra chorum, & sacrarium; mutilata imago, referens depositionem Christi de cruce, præterea Christus lignæ cruci affixus, & duæ flavæ cereæ candelæ erant totum ornamentum germanicæ Ecclesiæ. Hinc, & illinc visebantur fracti lapides sepulcrales, & truncatæ statuæ; Ossa mortuorum dispersa jacebant, & suspiria, gemitusque vulneratorum perhibuerunt testimonium, in bello æque patimicos, ac inimicos, sibi que in templo reconciliari.

Ad has considerationes accesserunt tristes cogitationes tuorum propinguorum. Tu unicum eras matris solatium, unica spes; quis illi narrabit te pro patria mortuum esse? quis hoc tuæ sorori, a qua mihi non ita pridem litteræ redditæ sunt, commemorabit? Optimi animi puella significavit mihi, semper sibi per somnium offerri tuam speciem, vidisse te sanguinolento circumdatum splendore; hacque de causa ad sacrum loci

curionem cucurrisse, ut eidem suum somnium exponeret, qui secum pro tui conservatione in Ecclesia preces fudit. Eheu! Nocturnum visum eventus comprobavit — occidisti.

Nihil animum meum confirmat, quam vocatio ad statum militare. Quam ferrea vita requiritur ad hunc ordinem! Homicidia, & mors sunt ejus comites, in hoc statu nil potest consolationem adferre, quam spes cœli, & futuræ melioris conditionis. Hoc experiendo didici, hæc sit uniuscujusque militis doctrina. Deus, & patria — sed lassitudine conficior.

Stringo iterum calamum, gallicus Officialis pone me jacens, me erexit. In infortunio sunt inimici amici, amo ipsum, est meus consolator. Ille etiam, veluti nos, habet rem familiarem, sollicitus est de suis, ejus conditio similis est meæ; Ille etiam optimo suorum amicorum privatus est in confictu. Verum ille victoriam canit, noster autem exercitus fere totus dispersus est. Omnia sunt perditæ, præter honorem, dixit quondam quidam Regum. Ex nostris solus invicti animi Princeps Ferdandus, hic veri nominis miles, cum exigua manu periculum evasit dimicando; vestigiis quidem ejus insistebat hostis, at ille fortiter resistendo tandem attigit montes, qui Bohemiam a Romano imperio discriminant. Ille forte primum, tri-

stem nuncium de nostra clade inferet in patriam.

Nondum possunt consecraria inde oritura in calculum vocari. Narrabo tibi interea eventus in publicis ephemeridibus contentos, ut etiam extra locum pugnae uberiora de nostro bello intelligas.

*Stuttgardia 22. Octobris.* Communicatio cum Ulma iterum pristino statui restituta est. Accepimus ibidem edi solitas universales ephemerides usque ad 17. hujus. In his inter alia legitur sequens Austriaca officiosa relatio de pugna 11. hujus commissa, in qua (uti suo tempore jam commemoravimus) Austriaci impetum gallorum repulerunt: Ante Ulmam stantis Cæsarei Austriaci exercitus dextram alam die 11. circa meridiem adortus est cum suis copiis gallici imperii Mareschallus Ney. Intentio ejus erat, quemadmodum hoc ex interceptis scriptis patet, durante hac aggressionem, Ulmam capiendi. Nostra dextra ala omnes conatus hostiles summa constantia, & fortitudine irritos fecit; dum interea Generalis hospitiorum magister, & Pro-Mareschallus Mack copiosos milites ex sinistra ala a tergo hostium immisit, qui duas legiones equitum, & totidem pedum fere interneccione deleverunt. Hostis se retraxit sine ordine per decursum Danubii deorsum, relictis in loco pugnae fere 1500. Cepimus prope 900 viros, 11 tormenta 20 currus onerarios, copiam sarcinarum, inter

quas etiam Divisionis Generalis Düpont. Prä-Mareschallus Princeps Schwartzenberg, Comes Klenau, Comes Gyulai, cataphracti Principis Alberti, & Mackiani, nec non velites Latouriani se præ cæteris distinxerunt. Præterea alii Generales, Officialesque, prout tota militia in una ala summam constantiam, in altera vero summam exhibuit fortitudinem. Jactura nostrorum vix efficiet aliquot centenos. Conflictus, & insectatio protracta est summa vi usque ad seram noctem. Ulmæ 12. Octobr. 1805.

In iisdem rerum novarum commentariis continentur nonnulla de bellicis factis ad Ulmam 14 & 15 diebus occurrentia. Die 15. vesperi tota civitas fuit undique clausa, plures globi e tormentis emissi in ipsam urbem injecti sunt, quo etiam gallicus Officialis cum tubicine intravit. Tractatus continuabatur tota nocte, & Princeps Lichtenstein iterum, iterumque missus est in primarium gallorum hospitium.

---

*In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, libri venales præstant :*

Articuli Comitiorum Anni 1800. 20 xr. compact. 24 xr.

Gruberi (C. A.) Elogia, & Epigraphica. Quibus accedit Diagnosus librorum ab arte Typographica inventa, usque ad annum 1560. typis editorum. Posonii 4. 40 kr.

---